

V C
2881



h. 25



h. 25, 9. QK. 23(9)

I, 20

Vc
2881



ALBERTUS JUNIOR
 D. G. MARCHIO BRANDENBURG. ETC.
 Exercitatione Historica
 In Illustri CHRISTIAN-ERNESTINO Collegio.
 Sub Præsidio
 Io. GEORGII LAYRIZ Historiæ Sacræ et
 Civilis Professoris Publici
 D. Martij Anno cl. 10. CLXXIV.
 Respondente
 MATTHIA à BANDEMER, Nobili Pomerano,
 EXHIBITUS.
 Apud
 IO. GEBHARD







I. N. J. A.



Primè **JOACH. CAMERARIUS** (*in Aptonii Progymn.*) de Serenissimâ Brandenburgensi Familiâ edisferit, vix inveniri aliam, quæ, sive rem spectes militarem, sive alias laudes, gravitatem, magnitudinem animi, constantiam addit & mansuetudinem, item humanitatem, cum Brandenburgensi illusterrimâ domo sit comparanda. Ut militaris hîc gloriæ tantum à nobis fiat mentio, tot ferè belli fulmina, quot Principes, reperire in eâ licet. Ex quibus inter præcipuos Serenissimus Princeps ac Dominus, **DN. ALBERTUS Junior**, Marchio Brandenburg. Prusis, Stetinensium, Pomeranorum, Casubiorum & Vandalorum, ut & in Silesiâ, Oppeliensium & Ratibornensium Dux, Burggravius Noribergensis, & Princeps Rügenfis, pientissimæ memoriæ, qui bellorum & fortunæ varietate Superiori Seculo non in unâ inclaruit gente. Hujus gesta brevi *Exercitatione Historicâ* delineare meditamur, à quorundam simul gravissimorum aliàs Virorum narrationibus, à veritatis tramite nonnunquam deflectentibus, æternam **ALBERTI** Famam vindicaturi. In frontispicio tamen hîc statim profiteamur, nos ingenuè, absq; irâ & studio, gestorum

seriem exposituros, adlatis, quæ ducta hinc inde, argumen-
tis, quorum tamen firmitatem expendere nec hujus est loci,
nec nostri animi. Rejicimus ea ad sacratiores Principum
aulas, & superiores Ictorum Cathedras. Nobis emortu-
am ferè *Magnanimi ALBERTI* gloriam resuscitâsse suffi-
ciat. *Tu Deus his nostris cœptis feliciter adsis !*

§. I. *Serenissimam MARCHIONUM BRANDEN-
BURGENSIIUM Familiam* ad paucos deduxerant fata ;
licet enim *FRIDERICUS Elector Brand.* ex nostrâ Familiâ
Primus *quatuor* Filiorum, cum *septem* vel *oçto* filiabus parens
utriusque sexûs sobole abundâsset, ad unicum tamen *AL-
BERTUM*, cui insueta eo ævo rerum gestarum magnitudô
ACHILLIS meruit cognomen, *Brandenburgensium* devene-
runt possessiones. Ab ipsis enim, & longiùs deductis primor-
diis *Brandenburgicam* derivare *familiam*, nostri instituti mo-
dum excederet. Factum ab aliis, & fiet id alibi. Hic *A-
CHILLES ALBERTUS* debilibus nixam fulcris, restabili-
vit domum, & *XIX.* liberorum prole, totidemq; nepotum
auctu beatam reddidit, viresq; recipere fecit. Remanserant
post obitum Parentis è digniori masculorum sexu tres, quo-
rum primogenitus *JOANNES* cum Electoratu *Marchie
Brand.* *FRIDERICUS* verò & *SIGISMUNDUS*, pro-
vinciarum in *Franconiâ* nostrâ sitarum administrationem ex
paternâ adquisiverunt dispositione, quæ *A. 1473.* concepta,
& *Augustæ* à Cæsare *FRIDERICO III.* confirmata fuit. *FRI-
DERICUS* tandem post *SIGISMUNDI* Fr. obitum solus ha-
rum ditionum hæres factus *An. 1495.* Princeps pace belloq;
decore

decorè & strenuè gestis certè Maximus, manuq; fortis, & hosti contrà ire imperterritus, *Cæsaris MAXIMILIANI* non semel meruit elogia.

§. II. Produxit fortissimus Heros nec minorem in CASIMIRO Filium, virtutum pariter & regionum ex parte hæredem. Namq; FRIDERICO triplex Masculorum soboles supererat, CASIMIRUS, cui cum GEORGIO Superioris & Inferioris Burggraviatûs Norici cesit regimen, & ALBERTUS deniq;, ad Nostri, quem sibi hæc disertatio elegit, differentiam Senioris cognomine adpellatus. Qui Teutonici Ordinis in Prusfiâ creatus Magister, quòd *Poloniae Regi* fidelitatis juramentum præstare recusaret, acri cum eò implicitus bello, tandem, cum frustra sæpiùs sollicitâset Imperii auxilia, cum Rege *Poloniæ* in hanc pacis consensit regulam, ut datâ Polono fide, Prusfiam *Ducis nomine* retineret. Graves equidem famæ inde passus adrosiones, tandemque, cum sacræ *Protestantium* Religioni se Anno 1525. addixisset, per infensos eò deducta res, ut è *Camera Imperiali*, proscriptionum tum non admodùm tenace, publicè proscriberetur. Sed res ea *Familia Brandenburgica* nequicquam obfuit, quin potiùs sub *Electore* hodierno absolutum *Prusfiæ* regimen promeruit.

§. III. Tantus ALBERTUS; at quantus CASIMIRUS? quantus GEORGIUS? Regiæ Hic juventutis moderator, Regno certè dignus; à *Bohemiae Rege* Ducatu *Oppaviensi* & *Oppoliensi* in *Silesiâ*, ob fidem Regi exhibitam donatus dicitur. Certè æterna, non ob receptam tantùm *Protestantium* religio-

religionem, sed eandem contra tot Imperatoris minas, tot Pontificum iteratas excommunicationes masculè, & divino fervore sæpiùs publicè, etiam cum propriæ vitæ capitisq; dispendio defensam, merebitur præconia, non marmori, sed ipsi æternitati ad feliciter imitandum inscribenda, quorum omnium intuitu *Pii* cognomine decoratus. Possemus hîc prolixius in ejus excurrere laudes, sed Tanto quidem Principi ex tenui nostro calamo nîl gloriæ adcrelcer. Posteritas D. GEORGII in omne ævum nunquam deponet memoriam.

§. IV. CASIMIRUS nôs vocat, primus natus, ALBERTI Parens. Princeps non gloriâ tantùm Majorum conspicuus, sed suis magis virtutibus coruscans. Certè, quos propria deserit virtus, ijs ad sui commendationem nihil est reliquum aliud, quàm inanis majorum memoria. *Venerabilem* illam majorum virtutem, ex quâ præter memoriam nihil in posteris supersit, similem dixit *Christ. Forstnerus* πολιτικοῦ αἵματος *edibus magnificentissimis, ex quibus præter latrinam nihil ruina aut incendium reliquum fecit.* Gloriâ dignus existimandus, quem sua cum primis ad gloriam virtus evexit. CASIMIRUS profectò non alienâ tantùm ex virtute quæsitit laudem, sed suam potiùs addidit. Veræ siquidem religionis fervore non parùm imbutus, quò liberum & publicum ejusdem exercitium ditioni suæ, at quantum hoc? concessit; quod præ cœteris ex *actis Onolsbacensibus* in Conventu Provinciali An. 1526. optimè adduxit *Vir. Maximè Reverendus, Magnus ac Præ-Nobilissimus DN. à LILIEN &c. Mæcenas*

coenas & Patronus noster omni honoris & observantiae cultu, dum Spiritus hos reget artus, prosequendus, *de Divino Serenissimorum Marchionum Brandenburgensium, in Evangelico-Lutheranam Religionem, Zelo.* In tantum CAROLO Hispaniarum tum Regi charus CASIMIRUS, ut suarum vicium curatorem nesciret ferè alium, qui, ne in Electione Cæsareâ præteritetur, optimè posset prospicere; Et sedulâ tandem prudentiâ effectum, ut CAROLUS Cæsar Rom. ab universis Electoribus eligeretur. Indeque cum ad suscipiendum diadema in Germaniam properaret, peregrinumque adduceret secum militem, CASIMIRO à reliquis Ordinibus datum Imperium, expositis undique Germanorum viribus observare, ne quid incommodi patiatur Germania. Imò vitam tandem in publicâ pro patriâ posuit salute. Anno enim 1527. rogatu FERDINANDI I. Regis Boh. & Hungariæ contra Jo. Sepusium, Waywodam, qui Regiam in Hungariâ quærebat dignitatem, cum exercitu, tanquam vigilantissimum & prudentissimum caput, (Prudentiam enim & vigilantiam cum invictâ animi virtute maximoperè requirit tanta gerendarum rerum moles:) emissus, cum fortiter ejus resistisset incursionibus, Budæ alvi profluvio obiit, cum Annos XLVI. vix quidem complevisset, majorem, nî ulteriora vivendi tempora fata negâssent, aucupaturus nominis celebritatem.

§. V. Hæc ALBERTO Majorum præcipua series, hæc è Parente gloria. Natus autem ex CASIMIRO & SUSANNA, Alberti Bavariæ Ducis Filiâ, MAXIMILIANI Imp.

Imp. è sorore nepte, qui Maximus Cæsar idem contraxerat matrimonium, in Comitibus dein Augustanis A. 1518. præfente Ipsomet, cum variis Germaniæ Proceribus, per ALBERTUM, March. Brand. R. E. Cardinalem, & Archi-Episcopum Moguntinum confirmatum. Natus ex tam feliciter conjunctis Potentissimis Brand. & Bavaricâ familiis ALBERTUS Onolsbachii 28. Martii An. 1522. die Felici in quibusdam fastis sacro, non sine venturæ felicitatis omine. Et à primâ statim infantia, dummodò vitales has hauserat auras, ingenitæ virtutis edidit notas clarissimas. Brevi tamen & vix V. annos natus, parènte orbatus, parentem in GEORGIO Patruo recipit. Ille enim pupillorum, & totius provinciæ tutelariam suscipiens administrationem, ALBERTUM secum habuit, & quod Principem maximè ornat, honestissimis instrui voluit atq; educari artibus.

§. VI. In pietatis utiq; & virtutis scholâ erat apud GEORGIUM ALBERTUS. Quid igitur, præter virtutum & veræ pietatis hausit semina? Quantum salutis in decorâ Principum educatione situm Reipublicæ, hîc exponere esset supervacaneum. Laudatissimus Marchio GEORGIUS in fidelissimâ ALBERTI educatione nihil boni prætermisit, quod ingenitam ex familiæ splendore virtutem excitare, & ad æviternum nominis decus potuerit provehere. Usus autem variorum quidem suâ in arte celeberrimorum Magistrorum, quorum duo brevi surrepti tempore studiorum cursum non parùm inhibuerunt. Restant eorum, qui formatores Albertinorum morum fuêre, nomina, doctis neutiquàm ignota, Vincentius Opsopæus

Opsopæus & Chr. Pistorius. Neq; frustra hîc curæ adhibita. Tanti enim ex teneris Principis oculis variorum decorum scintillabant radii, ut ipsius etiam Adversarii de Eodem, publico in scripto, cogantur fateri, *publicèq; singulis notum fuisse* adfirmant, *optimè Eum in juventute imbutum, ut universis spem non faceret minimam, se daturum olim pacem simul cum pietate in Imperio acerrimè, multaq; de eo Principalem dignitatem ingresso omnia magna ominarentur.* Num ab hoste gloriosius quid de benè formatâ Principis juventute potuit expectari?

§. VII. Externam corporis faciem paucis tantùm delineâsse sufficiet. Talis scilicet erat, ut gravitatis occultæ splendor in vultu reluceret, qui primò adspectu ad se venientes attraheret, vel reprimeret. Staturæ erat procerioris, & quæ Principem decet. Namq; ut ut fateamur, in Principum personis animimum vel maximè spectandum esse, gratiores tamen è pulchro relucentem corpore virtutem ducimus. *Philopœmenem Achæorum Ducem Thersiti* cuidam, quâ formam, quàm Principi similiorem novimus, qui non paucis tamen animi virtutibus inclaruit: *Commodum* contra omnium ætatis suæ fuisse formosissimum, sed Reip. vel maximè incommodum. Non frustraneam tamen naturæ operam esse ducimus, Principem dum decore oris & corporis robore exornare nititur. Operosos hîc in adferendis eorû historiis, qui vel solo corporis nitore ad supereminens adscenderunt Principatûs fastigium, esse nobis non placet. Conferat, qui velit, *Athenæum*, (a)

B

Tiraquellum

(a) l. III. 7.

Tiraquellum, (b) Piccartum, (c) jungatq; his Forstnerum. (d)

§. VIII. Transeant ea, quæ extrinsecus *Serenissimo ALBERTO* laudi duci poterant. Animus ad sublimia & excelsa natus, vera præcipuè Pietatis fundamenta jecit apud utrumq; Parentem, quæ constans sincerioris Religionis professio, plurima certè, si non omnia, futuræ vitæ induxit ab hostibus pericula. Inde q; præcipua cum *JESU* cœpit & absolvit, totumq; se divinæ permisit voluntati.

§. IX. Heroicam animi fortitudinem *ALBERTO* cum Prudentiâ & insigni Militaris artis scientiâ non pauca inferiùs dicenda tribuent. Talpâ cœciorem judicabimus, qui Tanto Principi denegare eadem audebit. Ad Principatûs sui regimen admotus, quantâ justitiæ laude inclaruit, turbido illo ævo? Humanitatis, comitatis & æquitatis studiosissimum *ALBERTUM* non vulgatis deprædicat laudibus *Leonh. Fuchsius Med. in præf. L. IV. de medendis humani corporis passionibus & febribus*, quem *ALBERTO Marchioni* inscripsit *An. 1539*, testis *αὐτόματος*, & fide præ cunctis dignissimus. Militiæ tamen ad gloriam præcipuè adspiravit. Martius certè animus non facillè suis continetur terminis. *Alexandrum*, præcipuarum Asiæ regionum domitorem parva non inclusit Macedonia; Bucephalo semel frenato æternum famæ thronum subacto orbe conscendere nisus est. *ALBERTUS* certè Maximis illis Heroibus, quos tot verborum exquisitis præconiis extulerunt scriptores Græci pariter & Romani, non multum

(b) l. 11, 44. Connub. (c) ad Pol. Arist. III. 12. (d) ad l. XV, 48. A.

multum inferiôr, quam spiritus acrior indidit, diviniore vi raptus, bellicis se studiis addixit, inter tot variantia mortis genera, tot pereuntium ejulatus, tot vulneratorum suspiria, tot deniq; armorum strepitus vagari strenuè & indefesè, animo planè imperterritô, principali sibi duxit gloriæ.

§. X. Magna hæc tènus inter *Hispaniæ* & *Galliæ* Reges bellorum ex mutuâ coeptorum æmulatione contexta fuerat tela, pro fortunæ bellicæ varietate, succumbente modò alterutrâ parte, modo vincente. Prima ferè hujus plus, quàm Vatiniani odij initia ad *Caroli VIII. & Ferdinandi Catholici* Regum tempora, expeditionemq; illius *Neapolitanam* referunt Autores; aucta dein sub *Philippo Belgicarum Prov. Governatore*, & fortiùs sub *Carolo V. Imp.* continuata. Somniâsse quidem tùm videntur *Hispani* nescimus quod universi Orbis imperium, sed & suis intenti progressibus *Galli* acriter *Hispanorum* molitionibus, sub Regibus *Francisco I. Henrico II.* & sequentibus restiterunt, *Domûsq; Austriacæ* incrementa lividis hodiênüm adspiciunt oculis, non parum ejus subversioni intenti. Vix enim hodiè alia, quàm olim rerum facies. Interim dum *Franciscus Galliarum Rex*, qui sæpiùs jamtùm infaustam sibi in *Cesarem* expeditionem maximò suò malò, & ipsâ etiam captivitate senserat, pacis tamen omne fugeret studium, novisq; bellorum fulminibus *Cesarem* peteret, plures ex Imperii Proceribus Augusti sui Capitis defensionem promoturi, liberrimâ ex voluntate, *Cesari* militârunt, quos inter ALBERTUS etiam fuit, qui cum duabus Equitum legionibus CAROLO fidem demonstraturus, & invictæ magnitudinis

dinis specimina exhibiturus, tanta meruit *Cæsaris* præconia, ut faventioris olim gratiæ certissimam conciperet messem. Sed Anno 1544. inter partes disidentes in *Suessionibus* pax constituta.

§. XI. Neq; hoc tamen modo ALBERTI fervor deferbu-
it. Cum enim idem Cæsar An. 1546. bello cum *Protestan-*
tibus quibusdam Principibus implicaretur *Schmalcaldico*, ille-
quæ tutandam Imperii Cæsarumq; autoritatem & Majesta-
tem; hi defendendam contra varios *Pontificiorum* technas re-
ligionem puriorem prætenderent, utraq; verò pars fluentem
alterius fortunam deprimere animo conciperet, cum *Mauri-*
tio, Duce tùm, pòst Electore Saxonie, Joachimo II. Elect. Br.
itemq; *Joanne M. B. ALBERTUS* quoq; *Cæsari* suam addi-
xit operam. Interceserat enim illi cum dicto *Mauritio* à te-
neris jam annis familiaris quædam consuetudo, non ex fan-
guinis tantùm orta necessitudine, sed & morum cumprimis
decentium similitudine, adeò, ut sæpiùs utrumq; eadem ca-
stra tenerent, una ambòs mensa, & unus reciperet lectulus,
quæ tamen amicitia in exitiabilem utriq; tandem perverso
quorundam instinctu degeneravit discordiam, quod infrà lati-
us patebit. Hoc bello non *ducis* tantùm, sed & *Cæsarei* cumpri-
mis *Consilarii bellici* officium absolvit ALBERTUS, cumq;
Confœderatorum jam nimiùm excrevisset potentia, & *Saxo-*
nie tùm Elector JO. FRIDERICUS non paucas *Mauritio*
urbes intercipere conaretur, jusfit ALBERTUM cum *Mauri-*
tio progressibus his contraniti, eosq; impedire. Erat tùm
Rochlicia urbs, in finibus *Saxonie Electoratùs* posita, quæ
Elisabe-

*Elisabetham, Landgravii Hassiæ sororem viduam colebat dominam, cõmissus ALBERTUS d. 9. Jan. oppidum statim capit deditione, neq; quæ strenui essent Ducis, intermittit. Sed fœminarum lubrica ut plurimum fides. Ea enim sexûs hujus inconstantia, ut ejus tutelæ qui tradere se confidit, mirè sæpè ludatur, quod maximè in bello usu venire suevit, ceu vel sacris ex historiis posset deduci. Vix ulla diu fœmina pondus habet. Et plenam rimarum huc atq; illuc perfluentem mulierem expertus ipse ALBERTUS. Quæ enim ejus se fidei commiserat, statim *Saxonie Electorem* de captâ urbe, & omni ALBERTI conatu per fidissimos reddit certiozem, erigitq; de recuperando brevi oppido. Ex improvise igitur *Elector* d. 3. Martii cum fortissimo exercitu urbem adgressus, strenuum quidem defensorem reperit *Albertum*, qui se fortissimè hostibus opposuit, urbeque egressus cum iis aliquoties tentavit prælium, sed à numerofo milite repulsus in urbem redire fuit coactus, cumq; in illâ, quæ munimentis minùs erat valida, nollet includi, fugâ cum suis hosti excutere quæsit victoriam, verùm denuò ab *Ernesto Luneburg. Duce* retentus & interceptus, inque alterum mensem *Gothæ ad Müllbergense* usq; prælium, deditamq; *Wittebergam* adservatus, post omnis expert solutionis, quæ ibi amiserat, recepit. Timiditati hæc vel negligentia, quam fortuna immiserat, neutiquam adscribenda captivitas. Injuriosi profectò omnes illi scriptores, qui strenui tum Ducis officio defuisse *ALBERTUM* ex odio in Germanos potiùs, quàm veritatis amore deblaterant; quos inter *Ludovicus d' Avila, Commendator Major Ordinis Alcantara,**

tara, qui, ut de reliquis Germaniæ Principum, ipsi etiam Cæsari fidissimis, & de universâ Germanorum natione non ex rei sæpè veritate scribit, ita *ALBERTUM* quoq; incuriæ, & muliebris negligentia in occupandâ *Rochliciâ* acculat. *Detentum enim illecebris muliebribus fuisse* traducit, quò minus benè rem egerit, quod etiam ex eodem *Jo. Sleidanus*, (e) & *Thuanus*, (f) aliq; plures commemorant. Opponimus tamen *Avila* peregrino, cunctisq; ejus sectatoribus, scriptorem alium peregrinum, *Jo. de Godoi*, *Principis Sulmonensis Capitaneum* & *Secretarium*, qui bello huic *Smalcaldico*, & præcipuis actionibus interfuit. Ita autem ille de *ALBERTO* nostro, & captâ *Rochliciâ*: (g) *Princeps ALBERTUS*, cum fidsset *Elisabethæ Hassiæ Landgraviæ* sorori, illa, diem quendam *Saxonie Electori* indixit, quò recipere deberet urbem, qui cum *Brunsvicensium Duce* eò pervenit. *Marchio* itaque cum percepisset, hostem in agris vagari urbanis, extemplò ad arma suos vocat, & fortissimo conatu cum 300. equitibus urbem egressus, illos, qui ex hostibus occurrerant, aliquoties dissipat: Sed cum audacter catervæ plures restitissent, dolo circumventum ad universum deduxerunt agmen, quò cum adeò concurrat, ut tandem urbem repetere coactus, & quamvis fortissimo conamine decertaverit, (ERAT ENIM PRINCEPS ANIMOSUS ET MANU STRENUUS) captus tamen, reliq; in oppido milites ab hostibus simul in urbem irruentibus, precibus vitam, relicto Duce, redemerunt. Addo huic alium, *Hieronimum Faleti*, *Com. Pal. & Ferrariensis in Germ. Ducis Legatum*, qui (h) honorificentis-

(e) l. XXI. (f) l. IV, & IX. (g) sub finem libri I. (h) l. IV.

norificentissimam hujus captivitatis facit mentionem, prætereà refert sub finem, (i) *Cæsarem Albertum reversum Gothâ Hala benignissimè excepisse, atq; ut de implendis sibi à Jo. Frederico factis promissis prospiceret, admonuisse: additq; dictus Autor, Cæsarem probè fuisse gnarum, satis animosum & strenuum futurum Marchionem in suis facile recuperandis, quæ ab hostibus Gotha detento interim erant in Franconiâ ademta.* Sic peregrini sæpè scriptores Maximorum Virorum famam clarissimam impunè audent lacescere, quod & à P. Jovio Novocomensi, Episcopo Nucerino circa expeditionem Ungaricam JOACHIMI II. Electoris Br. fortissimi factum vindicat Georgius Sabinus. (k) Quamvis igitur captus ALBERTUS Rochlicium quoque hosti relinquere fuerit coactus, multùm tamen offecisse ejus expeditionem Confœderatorum rebus, quod suum prohiberentur conjungere militem, maximo suo cum damno, testantur nonnullorũ ejus belli scriptorum expresa verba. Proin & pro navatâ fideliter operâ exempto captivitati Alberto Cæsarem quædam ex captivi Electoris possessionibus attribuisse referunt iidem Auctores.

§. XII. Eodem An. XLVI. superioris Seculi decreverat quidem *Cæsar* bellum *Magdeburgicum*, quod illius Cives ex reliquis Protestantibus pertinacissimos crederet, quiq; ipsi satisfacere planè recusarent. Acceserunt intestinæ inter *Archi-Episcopalis Ecclesie Clerum & Civitatis Senatum* lites, unde proscripta civitas sæpiùs, ejusq; oppugnatio à *Cæsare,*

(i) l. VI. (k) *Epistolâ ad Sleidanum.*

sare, bello Gallico tùm occupato, *Mauritio Sax. Eleđori, & Alberto Marchioni Brandenburgico* tanquam supremis belli Ducibus commissa. Cœpit igitur celebris illa obsidio Anno 1550 mense Octobri, & sequenti anno continuata, variâ, ut bellô adsolet, fortunâ. Quanta hic sollicitudine *ALBERTUS* strenui Ducis executus fuerit officium, loquatur illius oppugnationis publicè descripta historia. Tandem in certas Cæsaris conditiones dedita urbs, atq; ita funestum illud & atrox, ex Smalcaldico foedere residuum bellum, aliquantis per sopitum fuisse videbatur.

§. XIII. Sed ea tùm erant *Germaniæ* iniquiora fata, ut per se ipsam devicta in exterorum ferè absolutum pervenerit Imperium, eradicatâ, quâ à primis jam regni *Germanici* & antiquissimis Imperii initiis gavisa fuerat, avitâ illâ libertate, paucorum tantùm supereminente, & fundamentales, ut videbatur, Imperij leges conculcante potentiâ. Proin à quibusdam *Germaniæ* Statibus inita clam consilia, captivos hætenùs, ac per quinquenniâ miserâ in custodiâ detentos Principes, hinc inde que in triumpho quasi deductos, libertati restituendi, exteris *Germaniæ* regimen extorquendi, sibiq; rursùs vindicandi, religionis sincerioris libertatē promovendi, & Nationis Germ. non uno hætenùs modo intentatum interitum prohibendi. Communicato igitur inter ipsosmet Principes, *MAURITIUM & ALBERTUM* (tanti enim momenti res nec fidissimis etiam Consiliariis concedere quantæ erat prudentiæ? quod rarò tutum in multorum conscientia silentium;) *Curie Varscorum d. 7. Februarii 1552.* consilio, *ALBERTUS* quoq;

quoq; cum *Rege Gallia HENRICO II.* de auxiliis confœderatis ferendis pactus arma instruere, militem conducere, & quæ rei inservire possent, undiq; providissimè perspicere. Publicatis igitur literis *Rex Gallia* pro Germaniæ libertate, quam prætendebat unicè, reducendâ, *Mauritius Elektor Sax.* & *ALBERTUS Marchio Br. Philippus* item, *Landgravi F.* Anno 1552. Cæsari bellum indicunt, insimulq; *ALBERTUS Nobilitatis Franconica, urbiumq; aliquot Imperialium* expetit auxilia, atq; optimè instructo exercitu *Rotenburgi ad Tubarim,* absq; ullo *Episcopalium provinciarum,* quas transgredi necesse habebat, damno, sua *Mauritii Elektoris* armis adjungit, atq; cum Confœderatis *Dunkelspielam, Nordlingam, Donaverdam,* inde *Augustam* quoq; capit, religionisque liberum, à *Cæsare* hætenùs prohibitum restituit exercitium. *Ulmam* deinde, quod Confœderatis se adsociare renueret, hostili infestat agmine, castellum *Helfenstein* munitissimū occupat, variisq; exactiōibus *Ulmensium* castigat pertinaciam, quod Cæsareâ, quàm divinâ magis autoritate illos crederet teneri. Certè, invictissima ante *Cæsaris CAROLI* magnitudo tot tūm angustiis fuit coarctata, ut fugam *Oeniponte* circumspexerit, qui hostes non nisi fugare didicerat, nec pauca desperantis animi signa ediderit, qui maximum semper gesserat. Sed penetrare nobis in ea Germaniæ infortunia non licet, quæ concordissimam confœderatorum in se invicem lacesiverunt virtutem. *Elektor Saxonie MAURITIUS* obtentum putabat illud, cujus gratiâ bellum indictum: *ALBERTUS* contrà cum *Gallia Rege* libertatem *Germaniæ*

C

cineri

cineri supponi doloso existimabat. Et hinc illæ in Germani-
 ã lachrymæ ! Hinc in *Franconiã* motus intestini !

§. XIV. Dum *Ulma* se strenuè contra oppugnatores de-
 fendit, *Albertus* confœderatorum Principum mandato *Fran-
 coniam* ingressus, obluèrantes hæcenus status in reliquorum
 trahere societatem nisus est, variis inde damnis *Teutonici Or-
 dinis Magistrum Wolffgangum* adfecit, *Rotenburgum ad Tu-
 barim, Halam Suevorum*, aliaq; loca munitissima incredibili
 armorum successu occupavit. Quod autem *Noricorum*
 urbs in belli continuationem aliquam quidem pecuniæ sum-
 mam Confœderatis obtulisset, tacitè tamen Cæsaris quoq;
 partes sequeretur, eandem capto priùs munito eorum castel-
 lo *Lichtenau*, obsidione acriori à 9. *Maii* die ad 20. *Jun.* pres-
 sit, variisq; intereà *Noribergensium* oppidis in suam tradu-
 ctis potestatem, intercedentibus tandem plurimarum civita-
 tum, & ipsorum quoq; *Confœderatorum* legatis præsentibus,
 his legibus præ cœteris solvit obsidionem; *Pendere Noriber-
 genses aureorum ducenta millia promittebant, & ultra novende-
 cim millia ex contributionibus residua, cum sex tormentis bellicis*
majoribus, & necessario omni adparatu, atq; in confœderatorum
simili cum Augustanis pacto transire partes adnuebant; illatam-
que hanc, si qua esset, injuriam, nullo se planè modo & jure ul-
turos sanctè profitebantur. Econtra *ALBERTUS* ablata
Noribergensibus restituit, & ad pacem imposterùm colendam
 se obstrinxit. Soluta igitur *Noribergensis Urbis* obsidio d.
XX. Junii Anno MDLII.

§. XV Dum hostili ita agmine premeretur civitas, *Epi-
 scopus*

scopus Bambergensis ad firmiùs servandas foederis initi condi-
 tiones ab ALBERTO adigebatur; Siquidem adcuravit Idem
 Georgium Episcopum Bambergensem, quod promissorum
 Confœderatis datorum immemor suum hostibus Ratisbonam
 transmiserit militem, bellum inde indixit d. 12. Maii, nonnul-
 laq; Episcopo eripuit oppida, quæ inter Forchemium castel-
 lum munitissimum, sub initium Maii mensis deditio-
 nem, Quò igitur extremam à suâ ditione averteret ruinam,
 & omnimodum interitum, de conditionibus his cum AL-
 BERTO transegit d. 18. Maii: Traditurum se pollicitus est
 ALBERTO ejusque heredibus Episcopus oppida & præfetu-
 ras sequentes: Niesen / Burgkonstadt / Mainek / Kupfers-
 berg / Leugast / Ludwigschorgast / Bilsel / Potenstein/
 Weldenstein / Gottsmansstein / Holfeldt / Weischenfeldt/
 Neidek / Forchheim / Neunkirchen / Herzog Aurach / Unter-
 und Oberhöchstadt / Oberschönfeldt / und Bachentroth /
 cum omnibus, quæ addita spectarent oppida. Renunciavit cun-
 ctis privilegiis, juribusq; & omni, quæ imposteriorum eâ de re mo-
 veri posset, liti, neq; eam se rem unquam ad iudicium delaturū,
 80000. præterea aureorum soluturum semet obligavit, aliaq;
 plura cum dictis singulis, juramenti vice ipse Episcopus cum Cle-
 ro Bambergensi promisit. ALBERTUS contra ab hostilibus
 abstinere armis & animis, seque in defensionem Bambergensis
 Episcopatus tutelamq; contra omnes militares transitus sum-
 moperè invigilaturum addixit. Quin & dicta illa oppida &
 præfecturæ cum incolis, feudis juribusq; universis Eidem hæ-
 reditariè concessa, & ab Eodem quietâ aliquandiu possessione
 fuerunt retenta.

§. XVI. Pariles tūm recipere conditiones, quā hostilem experiri transitum maluit *Episcopatus Würzburgensis*. Eidem enim *III. Non. Maii* *Anni ejusdem LII. Seculi XVI.*, quod sæpius hætenus in *Marchionatūs* incolas hostilia fuisset minatus, bellum indictum, sed mediante pacificatione his præcipuè conditionibus sublatum: *Ut scilicet ALBERTO à Würzburg. Episcopatu certis quibusdam designatis temporibus ære numerato 220000. florenorum solverentur, adhæc ex debitis Ejus solvenda 350000. nummum aureorum reciperet, ille contra non nisi amica omnia, & tutelam prætereà Episcopatu contra hostiles insultus præstaret. Consenserunt ita transactis, & omnibus prætereà exceptionibus, privilegiis, juribus, aliisque reservatis renunciarunt Episcopus & Clerus Würzburgensis d. XXI. Maij.*

§. XVII. Micantes jam belli hujus flammæ sepultæ planè transactionibus his pacificis videbantur, & odia, quæ inter *Serenissimam Marchionum Brand. familiam, & Episcopos dictos atq; Noricam Civitatem* per plura hætenus secula excreverant, extincta credebantur. Non enim primos hosce contentionum invicem ferram reciprocasse, & variis se invicem non sine damno cladibus adfecisse novimus. Ut cæteros fileamus, *ALBERTUS Marchio, & post Elector Brand.* quem ob egregiam animi magnitudinem *Achillis Germanici* titulo fuisse ornatum, supra diximus, non cum *Noribergensibus* tantum *A. 1448.* acre & cruentum gesit bellum, quò octo præliis victor, nono tandem, neq; impunè victus in pacis consensit fœdera. Sed & cum *Würzburgensibus Episcopis*

pis A. 1440. 1442. 1458. 1460. sqq. Bambergensibus itidem 1462. & sæpiùs præliis concertavit, mutabili belli fortunâ, victrice tamen multoties, ceu ex *MS&to antiquo*, quo hujus ALBERTI bella describuntur, edocemur. Nos certè inter divina, quæ Diva nobis concessit clementia, referimus beneficia, nobisq; inde præcipuè gratulamur, quòd inter hos *Germaniæ* status, qui toties antea ferali concurrerunt bello, nihil hostile hodiè, nihil adversum audiatur, & quietem turbans publicam, sed amicè potiùs conspirent singuli, egregiiq; publici communem suscipiant curam. Et concordia certè *Circuli Franconici* membra præ reliquis Imperii statibus conglutinata quasi esse, non amicæ solum, sæpiùsq; hætenùs à Principibus iteratæ congressiones, sed communis simul contra hostes Imperii expeditio, cui *Serenissimus Princeps ac Dominus, DN. CHRISTIANUS ERNESTUS Marchio Brandenburgensis, Prussiæ Dux &c.* capitis loco præfuit, suscepta, satis evincunt! Salvam hanc præstet Jova! Et salva erit patria, salva Religio, salva Respublica!

§. XVIII. Transactis in *Franconiâ* rebus ALBERTUS arma victricia contra *Francofurtanos* profert, cujus tamen expugnationem æquè infeliciter, ac reliqui confœderati tentabat, variisque illatis malis, quòd *Passaviensi Traditioni Mauritijs Elector Sax. & Wilhelmus, Hassiæ Landgravius* cum *Cæsare* reduniti essent; ALBERTUS *Moguntiam* versus ducto exercitu, Ejus *Archi-Episcopum* in tantas adegit angustias, ut demersis tormentis majoribus fugiens *Episcopalem urbem Marchioni* relinqueret. Hinc *Wormatiam & Spiram*

Spiram imperata facere jubet, & *Argentorato*, sed frustra, idem obtrudere conatus, *Augustâ* post *Trevirorum* d. 27. *Aug.* expugnata, quod *Archi-Episcopus Confluentiam* præsidio *Gallicano* patere noluisset, tandem in agrum *Lücelburgensem*, & inde in *Lotharingiam*, quò *Gallia Regi* esset propior, discedit.

§. XIX. Interea *Cæsar*, qui ex *Confœderatorum Germ. Principum* solum sibi *Albertum* videbat hostem cum *Gallicæ Rege* parare bellum, ad debellandum ALBERTUM educit militem, indeq; *Episcoporum* transactiones, ex petito illorum, rescindit, *Bambergensem* quidem *Augustâ* d. 26. *Aug. Würzburgensem Villaco* d. 21. *Junij*, & denuò *Monachio* 7. *Aug.* cumq; ille stare semel promissis vellet, seriò, ne id fiat, injungit de 17. & 29. *Aug. Noribergensium* dissoluti *Tractatus* ab Eodem *Augustâ* d. 26. *Aug.* Monet præterea *Etlingâ* d. 17. *Sept.* ut *Franconici* pariter, *Suevici* item & *Rhenani Principes* tuendæ regionis ergò arctiorem contrahant unionem: quin & reliquos *Principes*, ut auxilio sint *Episcopis*, jubet & hortatur d. 29. *Sept. Lindarviò*. Ita in ALBERTUM universa ferè excita *Germania*. Convenère enim *Franconici Circuli* status, & 13 *Oct. ac 4 Nov. Noribergæ* sociarunt consilia, succedenteq; tempore plures quoq; in societatem illã traxerunt, quam suo dein consensu *Unionem Cæsar* firmavit d. 9. *Nov. ex Theodonis villâ*. Hinc igitur illud, quod tot *Imperii* status tragico depavit excidio, ortum incendium!

§. XX. Hæc dum ita ex *Episcoporum* succederent voto, cuncta ferè ALBERTO per dictas transactiones concessa oppida,

pida, quod illas extortas metu, motuq; proprio & spontaneo à *Cesare* annullatas dicerent, receperunt. Præcipuè verò *Bamberg. Episcopus* munitissimum *Forchemium* civium proditione sibi deditum variè instruxit ad paratu bellico, & in futuros paravit usus. Sed brevi eorum spes decollabat!

§, XXI. In *Gallia* jam fines penetraverat *ALBERTUS* cum signis peditum L. & aliquot *Equitum* Legionibus, *Henrico* Regi laturus auxilia, cui à *Cesare* magnum imminabat periculum. Sed Regem inter & *Albertum* de exercitui solvendis stipendiis minùs conveniebat, siquidem Ipse *Marchio* gratis se Regi militaturum, dummodò subditus sibi exercitus, quem satis diu hætenùs aluisset, largiori sustentaretur ære, pollicitus erat. Verùm frustranea, quæcunq; offerebantur, media. Hinc summa coactus necessitate, quod Imperatorem unicè avere non ignorabat, reconciliationem *CAROLI* quærit, tùm maximè, cum à *Gallia* Rege variæ *Marchioni* supplantando struerentur insidiæ, & pars quoq; exercitûs subtraheretur. Factum igitur, ut per *Albanum Ducem*, & *Episcopum Atrebatensem* reconciliatio illa, Mense *Octobri* dicti læpiùs anni 1552. promoveretur, inq; gratiam adsertus *Cæsaream ALBERTUS*, plenariam pactorum cum *Episcopis* obtinuit confirmationem, quâ ipse *Cæsar* non omnem tantum actionem, contra transactiones jam institutam, sed & deinceps instituendam ex *Cæsareæ Majestatis* plenitudine rescacat, *Episcopos* ad servanda semel promissa obstringit, & omni ita foro *ALBERTUM* liberat, inq; ejus gratiam *Comiti Oettingensi* cum filio antea proscripto, *Alberto* item, *Comiti à Mansfeld*
cum

cum filiis ignoscit, & ne contra propria ac liberrimæ voluntatis motum ALBERTUS ad Turcicam expeditionem debeat adigi, speciali quodam cavet privilegio: Imò ipsi tandem, quem secum duxit, exercitui solvendis se obstringit stipendiis. Factum hoc 24. Octob. & latius denuò deductum 10. Nov. Ab utrâque etiam parte, ut promissis firmiter inhæreretur, sanctum & inviolabile, conceptis verbis per utrinq; deputatos præstitum juramentum. Quin & per Eandem Cesaream Majestatem Episcopis sæpius dictis confirmatio pactorum fuit transmissa. Et ita denuò videri poterat anguis in herbâ oppressus.

§. XXII. Facile judicare nunc licet, quid de Gallicorum quorundam scriptorum, maximè illius ANDRÆ BO-NO seu JOANNIS BODINI, Germanis aliàs iniquissimi, perverso judicio sit habendum, qui malè fractæ fidei ALBERTUM accusare non erubescunt, & hic quidem expressè Serenissimum Marchionem (l) Perfidia Doctorem, uti Electorem Saxonie Mauritium Licentiatum Perfidia adpellare audet, perfidissimus homo. Opponimus huic præter illa rationum momenta à Clutenio (m) aliisq; pluribus adlata, promptissimâ causæ fiduciâ nixum ipsummet ALBERTUM, qui ullâ sine jactantiâ clarè fatetur, nemini se unquam fregisse fidem. Ipsa ejus verba merentur hîc legi: Da doch das wiederwertige allen unpartheylichen ehrliebenden / hohen und niedern Ständen deutscher Nation kundbar und wissend ist / daß wir uns je und alleweg eines Fürstl.

(l) l. V. p. 964. de Rep. (m) in disput. Anti Bodin. qua extat inter Basileenses T. II.

Fürstl. ehrlichen / und nicht leichtfertigen oder wankelmüthigen Gemüths gehalten haben / biß auf diese Stund / darüber sich die Hoheit deutscher Nation ohne einigen Makkel unserthalben wol zuberühmen hat / welches wir / doch ohn allen Ruhm / und allein aus sonderer hoher Verursachung / zu Rettung unserer Fürstl. Ehren angezeigt haben wollen / daß uns wäder von Kaysen / Königen oder andern Ständen / in oder aufferhalb des Reichs mit einigen Grund zugelegt werden mag / daß wir derselben einen ichtes zugesagt / vielweniger uns desselben verpflichtet hätten / das wir ihme nicht gehalten / oder davon abfällig worden. *Hæc Tibi dicta Tuisq; Bodine, putata; non perfidus ardor ALBERTUM in Regem Gallie, sed hujus potiùs suspicax frustra animus, & summa armavit necessitas.*

§. XXIII. Fidem, quam dederat *CAROLO ALBERTUS*, egregio, & verè Heroico firmavit ausu. Cum enim hanc redintegratam inter *Cæsarem* & *Marchionem* amicitiam percepisset *Dux d' Aumale*, Principis *Guisii* Frater, qui Equitatu Gallico præfectus, proximè *Albertum* castra posuerat, accedente *Jo. Fraxinei*, *Episcopi Bajonensis*, & apud *Marchionem Gallie Regis* legati adhortatione, non peditatum tantùm *ALBERTI* in suas stimulabat partes, ad seditionem jamtum ob æris debiti defectum pronum, sed & omnem exercitum ad infringendum *ALBERTUM* educebat, ne tanti roboris accessu *Cæsaris* augerentur vires. Quanquam autem optimè suum potuisset *Cæsareano* à latere consistenti ad-

D

jungere

jungere militem, maluit tamen tentare prælium, quàm fugæ alicujus specie timiditatis notam incurrere. Amicè igitur Equites suos compellat *ALBERTUS*, & ut ab hoste tantò majorem reportent gloriam, quantò numero essent minores, hortatur & orat. Instructis igitur d. 4. Nov. equitum Ordinibus, peditatui diffidens, committit prælium, primoq; *Gal-
lorum* summâ virtute repulso impetu, aciem illorum mox cer- nit inclinatham: hinc cedere & cœdi cœperunt. Disjectis qui acriùs institerant, plures ex *Gallicâ* Nobilitate cadunt, ipse verò Exercitûs dux *Aumalius* aliquot vulneribus faucius cum aliis magni Nominis viris captus, *Cæsari Metim* tum op- pugnanti adductus, & inde *Blasfenburgum* transmisus, in cu- stodiâ per aliquot annos fuit detentus.

§. XXIV. Vix reconciliatus *Cæsari ALBERTUS Mar-
chio*, *Episcopis* in *Franconiâ* id transcribens exhiberi simul formam confirmationis pactorum Cæsareæ curat, petitq; & monet, ne promissis cadant, sed firmiter potiùs semel addi- cta, denuoq; à *Cæsare* confirmata præstare jubet: suis porrò, ut *Episcopos* quoq; de servandâ fide sæpiùs urgeant, injungit, quin & vim se facturos, dum conditiones implere recusent, interminentur. Quam sibi neq; opinatam rem cum perce- pissent *Episcopi*, ad summum *Camera* auffugiunt *judicium*, & infensos *ALBERTO* vel nuperâ fugâ *Adsesores* suæ paratos inveniunt causæ, indeq; ex *Judicio illo de d. 19. Dec. 29. Ejusd. mensis A. 1552. & d. 17. Febr. A. 1553.* mandata obtinent ad *ALBERTUM* de non turbandis amplius & offendendis, *Episcopis*, *Confirmationis* tamen *pactorum Cæsareæ* nullâ apud *Judices* factâ mentione.

§. XXV.

§. XXV. Frustrà à CÆSARE & ALBERTO oppugnabatur *Metis*, metam victoriis *Carolinis* ponens & terminum, Hinc inhybernis ducto milite *Trevirenses* agrum ALBERTO assignat *Cæsar*, qui solutis ibi stipendiis militem omnem dimittit, quietem imposterum ac pacem, dummodò pacta ferventur, & Confirmationis Cæsareæ vis rata fiet, non abhorrens. Sed frustrà eam quærebat, quam occupatione oppidorum alii dudum diruperant. Ex *Camerâ* quoq; iidem adversarii obtinuerant mandatum, quò *Franconie Statibus*, *Electori Palatino*, *Saxonie Duci*, aliisq; injungitur, ut mutua *Episcopis* societ arma. Non *Cæsar* hic firmum juris præsidium. Pacifico tamen potiùs medio animorum conciliatio erat tentanda. Indictus igitur *Mense Martio* transactioni dies *Haidelbergæ*, cui ipse ALBERTUS intererat, & *Episcopus* quoq; *Würzburgensis*: *Bambergensis* per legatos comparuerat. *Elector* verò ad *Rhenum Palatinus*, *Fridericus*, *Albertus Bavariæ* & *Christophorus Würtenbergicus Dux*, *Wilhelmus* item *Juliacensis Princeps*, *Mediatorum* officio fungebantur. Et *Würzburgensi* quidem sua implere pacta denuò promittit, ab aliis tamen retrò actus à priori desiliit incepto. Cæterum quòd ALBERTUS à semel juratis quasi & pactis conditionibus nollet desistere, *Episcopi* contrà easdem implere omnibus recusarent modis, infrugifera fuit hæc actio pacifica, & exacerbatis magis animis fuit discesum, quàm accessum.

§. XXVI. Cernebat ita ALBERTUS, sibi illudi, circumspicit igitur de auxiliis, quibus ignominia à se abstergeret maculam.

Et ipsi contra Adversarii varias *Marchionem* supprimendi inquirunt rationes; non enim scriptis tantum suæ robor quaerunt sententiæ, dum *Würzburgensis Episcopus* d. 25. Martii 1553. ab omnibus Imperii Statibus, ne ALBERTO quis sitet auxilio, contendit, sed & tertium è *Camerâ* contra Eundem impetrant de non offendendo mandatum d. 18. Apr. quin & circa idem tempus *Egræ* in *Voitlandiæ* & *Bohemiæ* confinibus inter *Bohemiæ Regem FERDINANDUM*, *Mauritium Electorem Saxoniam*, *Henricum, Ducem Brunsvicensis*, *Henricum, Burggravium Misniæ*, *Dominum in Plauen*, *Regis Boh. tum Cancellarium*, & cæteros *Unitos Franconiæ Status* novum contra ALBERTUM sancitur fœdus, sicque mutua in arma optimi sodales, consanguinei, proximiq; vicini arman- tur. Verum nequicquam hæc hostium multitudo ALBERTI fregit animum, quin potiùs summæ sibi futurum duxit gloriæ, plures experiri hostes; non aliter, atq; *potentissimus Elector Br.* ALBERTUS ACHILLES, ex multiplicato hostium numero ingentem sibi laudem mercari posse credidit, quod *Georgius Sabinus* (n) his eleganter descripsit versibus:

*Certior Albertus cum Marchio redditus esset,
Acre sibi bellum quinq; parare Duces:
Atq; moneretur, ne tot contenderet impar
Hostibus: intrepidus jus sit abire metum.
Quin referam tantò plus laudis ab hostibus, inquit,
Illorum quantò copia major erit.*

§. XXVII.

(n) l. Epigramm.

§. XXVII. *Martii die 27.* rem omnem, prout gesta erat publicè ex eo, quo tùm erat statu, exponit, insimulq; pacta sibi oppida quædam & præfecturas recipit, indeq; cum *Würzburgensem Episcopum Bambergensi* suppetias mittere inaudivisset, prope *Bommersfeldam* sex illas peditum legiones, cum *duabus equitum centuriis* fortiter & inopinatò adgressus *18. Apr.* (alii 7 adserunt) summâ vi parvâ militum manu commisit prælium, quò in tantò plus virtute valuerunt ALBERTI milites, ut majorem longè hostium numerum profligarent, tantumq; incuterent terrorem, ut fugâ pauci elaberentur. Ipsam inde adortus *Bambergam*, resistente nemine, *d. 22. Apr.* aliaq; complura loca sui fecit juris, & fulminis instar universum agrum *Franconicum* non leviter concussit, quin & *Noribergensium*, quos classicum primos cecinisse credebat, invasit oppida, *Altorf & Lauf* capit, & ut sibi illatum aliquantisper damnum resarciat, exurit. Facta ea incredibili celeritate, quâ non semel famâ citiùs in regionem aliquam penetravit, mensibus *Aprili & Majò.*

§. XXVIII. Denuò *Cæsar* exasperatos adeò animos reducere studet, indeq; Episcopis, ut ab armis desistant, severè mandat, diem *Francofurti 16. Maii*, quò se, & Rom. Rege *Ferdinando*, aliisq; Imperii Statibus mediantibus controversiæ decidantur, indicit. Ast dum hostes non tantùm sensim crescerent, & undiq; hostilia tentarent, sed & de novo *2. Maii* mandatum ex *Camera* obtinerent, quò *Archi - Episcopus Moguntinus, Palatinus & Saxonicus Electores*, præcipuique *Franc. & Sax. superioris Circuli* status sub proscriptionis pœ-

nâ ad auxilia *Episcopis* ferenda sollicitabantur, suis accuratiùs invigilandum duxit ALBERTUS, & intercepto *Noribergensium*, quem in *Bohemiâ* & *Silesiâ* contraxerant, fusoq; milite, 5. *Maii*, *Francofurtensi* pacificationi interest, quæ tamen, quod *Confœderati à cassatione*, ALBERTUS à *Recassatione Cæsareâ* se abduci nollent, similem priori habuit exitum.

§. XXIX. Belli fervor summum attigerat gradum. *Junio* mense novæ utrinq; colliguntur vires, mittuntq; *Episcopis Mauritius Elector Sax.* & *Henricus Brunsvicensis Dux* egregiam militum manum, quibus *Marchionis* vires retunderent. Sed maluit distrahere ALBERTUS hostes, & belli sedem aliò transferre, quàm universam molem in se convertere. Domini enim graviori ferè clade vincimur, levi aut nullâ utilitate superamus. Quod exemplis prolixè adserere esset perquàm facile, sed aliorum in eò satis elaboratam industriam non intercipimus. Relinquit igitur *Sueinfurti* & alibi munitis in locis præsidia, magnâq; celeritate per *Saxoniam*, quam tamen universam fere, absq; levisimo damno, ipsiusve *Mauritii* regiones, ne offensæ haberet causam, transgreditur, in agrum contendens *Brunsvicensem*, *Halberstadensem* urbem capit, extortâq; pecuniâ, varia *Brunsvicensi*, nec unius generis infert mala, adjutus præcipuè *Erici Brunsv. Ducis*, & præcipuæ nobilitatis ejus regionis operâ. Revocant igitur *Mauritius* & *Brunsvicensis*, quas in *Franconiam* miserant, copias, & quemcunq; modò possunt, cogunt militem, viribusq; conjunctis ex agro *Hildesheimensi* ad *Osterodum* ipsis *Julii Calendis* ALBERTO bellum denunciant FERDINANDI
Regis

Regis nomine *Henricus Plaviensis Dominus*, & *Misnie Burggravius*, *Electors Saxoniae Mauritius*, quas clarigationis, ut vulgò dicuntur, dum accepisset *Marchio* literas, quod provocatus ab illis esset, *Electoris Brandenburgici JOACHIMI II.* legatos, qui pacem firmaturi venerant, remittit, dictumq; *Ducem Ericum* ad Cæsarem ablegat, cui, quæ opus videbantur, sedulus exponeret. Ita scilicet ventum ad arma!

§. XXX. *Wisurgim* jam transit ALBERTUS, hostiq; se sistit imperterritus, & educto in aciem milite pedestri pariter & equestri, imparem quidem equitatu hostibus se facile cognoscit, non tamen animum exinde despondet, sed fortiter apud *Sivershausen* in *Luneburgensi Ducatu* congressus, hostes aliquoties repellit, & numero tandem, non virtute superatus, nec incruentam hosti victoriam IX. Julii die relinquit. Ipse enim *Mauritius* graviter eo in prælio vulneratus, tertio post die expiravit. Cecidèrè prætereà ex adverso agmine, & primò quidem congressu *Philippus Magnus* & *Carolus Victor*, *Duces Brunsvicenses*, *Henrici*, hostis ALBERTI infensissimi *Filii*, *Fridericus* item *Dux Lineburgensis*, *Comites* 14. plurimiq; ex primoribus & fortissimis belli Ducibus. Neq; ALBERTUS nullam suorum passus est jacturam, quod ex præcipuis belli peritiâ instructissimis non pauci caderent, ipseq; saucius *Hanoveram* perveniret. Adeò miserandus *Mauritii* & *Alberti* intestina odia, levi æmulatione & suspicione prognata, excepit exitus. Excellens Poëta, *Jac. Micyllus* de funesto hoc prælio, quod Germanorum non parùm attrivit vires,

vires, ita canit:

QUI CeCIDIt, pVgnat: qVi VInCIt, Is InterIt: ergò

GratIa par CœsIs: VICTor VtrInqVe DeVs.

§. XXXI. Clade hâc perpeslâ crevit adverfæ parti animus, ALBERTO neutiquam decrevit. Non enim ad *Augusti* exemplum valido cerebri incuslu parietem pulsat. Inerat ipsi animus ad firmitudinem, quiq; abstrudere poterat tristitiam. *Constantiæ* sibi constituerat alylum, quo nec injuriarum tela, nec calamitatum catapultæ pertingere valebant, sed quæ vel citra metum jacta defiliant, vel firmo animi præsidio excepta refringantur. Dissimulando igitur & reticendo, quod prudentis est, mala, ne signum quidem mœroris ullum ostendit, sed nova potius circumspicit auxilia, quibus jacturam hanc refarcire fortiùs queat. Nec ex eâ strage milites abhorrebant *Marchionem*, quin contrà non pauci gratis quoque sub *Ejus* auspiciis, quem solertissimum ac fortissimum noverunt Ducem, bellare avebant; ejusve secutos esse signa maximæ sibi ducebant gloriæ. Id tamen ultrò fatemur, eum post cladem illam vires pristinas & integras nunquam valuisse recolligere, cum ne *Hercules* quidem tot simul hostibus, non perfunctoriè, sed summâ contentione suppressere eum conantibus suffecerit, *Ericusq; Brunsvicensis* cum *Henrico* brevi post reconciliatus ALBERTI reliquerit partes. Intereà verò, dum in *Saxoniâ* hæret, *Episcopi* cum reliquis *Confœderatis*, quicquid in *Franconiâ* possedit ALBERTUS, adgrediuntur, flammâ & ferro universa depopulantur, urbes recipiunt, pagos exurunt, obsident fortalitium *Blasfenburg*, indeq; re infectâ disceden-

discedentes *Curiam* urbem, muro tùm satis munitam, eamq; per *Henricum Plaviensem* d. IX. Aug. obsident. Sic undique pressus ALBERTUS, nondum tamen oppressus, nondum abiicit animum. Collectis igitur quàm ocisfimè, quas poterat, viribus *Brunsuico*, eò enim se contulerat, egreditur, denuòq; cum *Brunsuicensi Henrico* manum, sed iterùm infeliciter conferit d. XII. Septembr. Numero victum & hìc dicit *Sleidanus*, (0) quod ipse nullum, *Henricus* autem ad viginti signa peditum haberet. Relictâ sic hosti cruentâ victoriâ redit *Brunsuicum*, quâ in urbe d. XI. Sept. *Daniae Rege* & *Electore Brand. arbitris*, recenti *Saxoniae Electori AUGUSTO*, *Mauritii Fratri*, dissentiente licet maximè, & ad bellum continuandum inprimis stimulante *Ferdinando Rege*, fuerat conciliatus. Feliciorem longè opinabatur hujus praelii exitum, quòd hostis milites in sua transituros castra speraverat, sed per reliquos *Confœderatos* ultimo ferè ante praelii tempus articulo subministrata tumultuantibus distribuenda subsidia. Strenuè hæc tènùs *Curia* se contra gravissimos hostium insultus defenderat, avidè promissam sæpiùs urbis solutionem expectans: perceptâ tamen *Marchionis* repetitâ clade, cum maximâ prætereà annonæ penuriâ obsessi premerentur, 27. Sept. hostibus civitatem dedunt, dimissò liberè exercitu, cum jurejurando in suam fidem adegisset urbem *Plaviensis*, tanquam æternùm sibi accessuram. Sic una rariùs calamitas à plurimum turbine non excipitur.

§. XXXII. Redit igitur per *Thuringiam* in *Franconiam*,
 E suosq;

(0) l. XXV.

suosq; sub onere & metu jam gemiscentis miro refocillat gaudio *ALBERTUS*. Quem cum adventum hostes, hanc nostram *Baruthinam* urbem acriori tùm obsidione prementes inaudivissent, *Bambergam* extemplò, fulmine quasi tacti Martiali, auffugiunt. Unicè igitur recuperandis intentus amissis, *Curiam* ex improvìso adortus præter omnium expectationem, Plaviensi milite in vagam soluto licentiam, recipit d. Oct. 10. sed mensis sequentis d. 28. denuò amittit, quam incenibus, quod Domino fidem præstiterat, nudat *Plaviensis*, ne olim denuò intercipiatur. Confœderati novo *Henrici Brunsvicensis* accessu aucti *Lichtenfelsum* capiunt, & readsumtâ *Culmbaci* atq; *Blasfenburgi* obsidione, *Baruthum* quoque deditione occupant, murisq; denudatum relinquunt; atq; ad fortalitia *Blasfenburg*, item *Hohen-Landsberg* expugnanda omnibus convertuntur viribus. Quod igitur ad extrema jam pervenisse crederet *ALBERTUS*, sua quædam incendio, ne in hostium venirent manus, perdit, antiquo ex *Germanorum & Helvetiorum* instituto, queis sua belli tempore urere non insolens, ne cedentibus illis in avia pabulum & commeatum inveniret hostis; vel, ut spe reditûs ad sua abscissa, majori alacritate terram invaderent hostilem. Vid. de *Brueris* sua urentibus *Tac. (p)* At non propria solùm flammâ absument, sed &, quicquid ex hostili terrâ obvium, eandem experitur talionis jure sortem. Sic enim adversas frangere opes, & latè circumferre terrorem, nec sibi curam & onus addere ducebat consilio.

§. XXXIII.

(p) A. l. 60. 4.

§. XXXIII. Hæremus nunc in ultimâ bellici actûs scenâ. Ferro, calamo & fulmine pugnatur in *ALBERTUM*. Ipfis *Decembris Calendis*, ternâ vice ex *Camerâ* Imperii pro unico, quod intentabatur, crimine, proſcribitur, executioque ſimul proximis injungitur ſeverè circulis, Sed neque hîc ceſſabât pacis amantes, mediationem offerre, indeq; *Rotenburgi* denuò, ſub finem *MDLIII*. & initium ſequentis anni indicuntur *Pacificatorum* conventus. Verùm quòd *Confœderati Albertum* ad arma deponenda vellent cogere, ſuis ſibi relictis, aliasque ſat graves offerrent conditiones, neq; intereà ab hoſtili animo quicquam remitterent, ſed durante illo conventu *d. IIX. Apr. Anni MDLIV*. Propugnaculum *Hohenlandsberg* proditione caperent, planèq; everterent, omnis incundæ tandem aliquando pacis ſpes evanuit. Variis inde inveſtivis hinc inde perſcriptis *XIIX*. tandem *Maii Caſar* proſcriptionem illam confirmat, & univerſis ferè ſtatibus executionem ſeverè demandat: neq; interceſſiones Principum, neq; *Alberti* de nullitate *Ejus* conteſtationes quicquam hîc valebant. Fruſtranea ea omnia, & ſurdis canebantur auribus. Quòd igitur præter *Sueinfurtum*, urbem Imperialem, & *Blasenburgum* præſidio nihil ampliùs teneret, & utrumq; quidem acrem tolleraret obſidionem, quem in *Galliâ* ceperat, *Aumalium Ducem*, priſtinæ reſtituit libertati, ſolutis 60000. aureorum, quibus confestim novam militum colligit manum, & *Sueinfurtum* obſidione liberare nititur, quam etiam feliciter per medias hoſtium turmas ingreſſus, omni ferè comœatu invenit deſtitutam, hinc retrocedere coactus, cum hoſte inſequentem

prælium sinistro committit auspicio, deiuoq; in fugam actus
 omni post ditone pellitur, *Suinfurto* statim, & elapso octiduo
Blasfenburgo captis; Tum hujus non fortissima tantum muni-
 menta dejecta, sed &, quod ipsam sapit barbariem, aqua, ne
 unquam deinceps esset usui, veneno infecta. Suscepta binis
 vicibus *Blasfenburgi* obsidio, primò quidem *d. 13. Julii Anni*
MDLIII. ad 7. Aug., quò copiarum ad expugnandam secesse-
 runt *Curiam*: repetita *d. 19. Nov. Anni MDLIII. ad XXII.*
Junii Anni seq. quò die, cum rerum omnium summa cepisset
 penuria, nec sustentandæ amplius vitæ sufficerent alimenta,
 deditum illud *Regis sequestribus* fortalitium; Et ita univèrsa,
 quæ *Marchionis* hætenus subfuerat regimini, *Franconia* pro-
 vincia, hostium juris facta, miserè fuit devastata, reliquaque
Franconia ab iisdem tantum non perdita funditus.

§. XXXIV. Sic dubia belli alea. Sic summa fortunæ in-
 constantia! Non inde stat semper eventus, unde fortuna pri-
 mo nisu stetit: Rectè *Seneca*: (q)

Quem dies vidit veniens superbum,
 Hunc dies vidit fugiens jacentem.
 Nemo confidat nimium secundis:
 Nemo desperet meliora lapsis.

Ille *Germanorum* terror *Marbodius* apud *Tacitum*, & Roma-
 norum formido à profugo victus *Catualdâ*, regno exutus
 hostium implorat opes, & tutam habitandi sedem invenit. (r)
 Noster patriis ejectus terris ad *Gallia Regem*, qui totius ferè
 “ belli causa, [adeò severè tum puniebatur in *ALBERTO*,
 adhæsisse

(q) in *Thyeste*, (r) *An. 11. 63.*

“ adhæsisse contra *Imperatorem Gallo*, quæ nostri si adpli-
 “ cueris ævi moribus, immane quantum videbis distare,]
 qui cladis item autor, certè instigator, qui exitii ansa occultis
 dolis fuerat, confugit, à quò liberaliter admodùm exceptus,
 contraq; hostes non segniter defensus est, publicatis, cur *Al-*
bertum receperit, rationibus. (s) Sed quòd universæ *Sere-*
nisimæ Brandenburgensium Familie maxima quoq; clades
 bello illò esset illata, per plures sedulò mediatores res acta
 publicis in *Imperii Comitibus, Ratisbonæ Ann. 1556.* habitis,
 quò fide publicâ ALBERTUS vocatus venit, suamq; read-
 sumsit defensionem, neq; tùm utriq; parti animus à reconcili-
 atione planè alienus, transactionem tamen mors ALBERTI
 præpropera interrupit.

§. XXXV. Qui enim ab ipsis juventæ initiis ad illam usq;
 ætatem perfectissimo robore semper fuerat, neq; non nisi se-
 mel debile traxisse corpus legitur, ortò ex mirâ quâdam cau-
 sâ acutissimo morbo, quod pluribus recenset *Camerarius*
 (t). Is tandem *Pforzhemii* apud *CAROLUM Marchio-*
nem Badensem, sororis ALBERTI *Cunigundæ* Maritum mor-
 bum contraxit, eumq; quod ex *MSCto quodam* hausimus,
 propinato per adversariorum fideles veneno. Sic fortuna-
 tum tantorum exercituum Ducem, tot expeditionum trium-
 fis, florentissimâ ætate, abduxit invida hostium malitia,
 [dummodò dicto *MSCto* fides tribuenda,] communi cum
 præcipuis belli ducibus more. Exempla omnis suppeditat
 historia. Facile esset, plura adducere, sed vel ipsum *Alexan-*
 drum

(s) *Sleid. l. XXV, Comm. Thuan. l. XIII.* (t) *Hor. subcisiv. Cent. 1, 27.*

drum gestorum famâ *Maximum*, insidiis & veneno necatum non dissimulat *Curtius*. (u) Creberrimum certè, sed Christiano præcipuè nomine indignum tollendi inimicos genus veneni propinatio, quod ne celeritate exitûs prodat sceleris autorem, lentum læpè ad simulandum fortuiti morbi langvorem sumitur, quali & *Augustus* à *Liviâ* ex quorundam judicio necatus à *Dione* dicitur. (x) Rectius longè *TIBERIUS*, *Arminii* necem veneno curaturis respondit legatis: *Non fraude, neq; occultis, sed palàm & armatum populum Romanum hostes suos ulcisci.* (y)

§. XXXVI. Ipse *ALBERTUS*, cum ultima sibi instare jam sentiret, non ut naturæ injuriam gemens averfabatur mortem, sed ut ærumnarum finem exoptabat. Profectò non placent DEO, neq; hominibus *μεμψιμοιστοι*, qui omnem vitæ offensiculam in querelarû occasionem rapiunt, ad omnem motum pavidi, nihil esse mali, quod non sustineant & expectent, amicorû auribus graves queruntur. Aliter *Serenissimus ALBERTUS* constantissimo animo, maximeq; pio excepit mortem. Possemus hîc esse prolixiores, nî ipsa jam præter spem amplius excrevisset disertatio, præcipuè, cum non tantum pientissimus hic obitus, ab ipso D. *JACOBO HEERBRANDO*, Pastore tûm *Pforzheimensi*, magni Nominis Theologo, tanquam teste oculato, & omni exceptione majore fuerit consignatus, & typis primò mandatus à *Georgio Raben*, post *M. Brunonis Quinos*, *Ecclesie Sittaviensis Pastoris* libro, cui titulum fecit: *Disce mori*, insertus, qui A. MDLXXIV. primò,

(*) l. I. 4. (x) l. LVl. (y) *Tac. A. II, 88, 1.*

primò, dein ejusdem SECULI A. XCV. prodiit *Lipsiæ*. Sed & exinde denuò traditus per *Hortlederum*, (z) item à *D. Conrado Rittershusio* nonnulla exinde in *Oratione habitâ in Actu Introductionis Illustris Gymnasii Hailbronnenfis Anno MDCLV.* excerpta fuerint. Nobis post uberem adeò messem spicilegia facere licebit. Mense igitur *Januario apostemate*, quò corpus *ALBERTI* præter morem adfligebatur, (simili *apostemate* ex venenato pharmaco periisse *Vinariensium Dux* famâ clarissimus *BERNHARDUS An. MDCXXXIX. d. 9. Junii* à non paucis traditur:) graviùs cœpit decumbere, tandem 7. *Januarii* die, post gravem animi contritionem, & seriam peccatorum confessionem, omnibus inimicis, à quibus bonis exutus, regionibus spoliatus, patriâ ejectus erat, pio condonavit animo, inq; ejus rei præsentem coram *CHRISTI* aliquando tribunali testes vocavit: se enim moriturum adseruit, tanquam *Principem Germanicum, exulem, sincerumq; Christianum.* Gratias porrò egit *DEO* singulares, quod refici sacro jam possit, animi viribus adhuc integris, epulo. *Sequenti die*, aucto morbi æstu, variis demum exci- tatus ex *SACRI SPIRITUS* instinctu solatiis, se *NON ALITER*, atq; in *CHRISTI* nomine exspiraturum constanter adfirmavit. Imò corpus jam relinquentem animam *JESU* suo sæpi- ùs commissam, inter dulcissimas *JESU* adpellationes, & ul- timam exclamationem, *JESU serva me! d. VIII. Januarii Pforzheimii* beatè exhalavit, anno *Climacterico* quinto, æta- tis *XXXV.* improles & ἀγαπός.

§. XXXVII,

(z) *Tomo, II. l. VI. 39. de Belli Germ. causis.*

§. XXXVII. Ita ultima, ut fabulæ, sic vitæ scena introspi-
 cienda! Qui diei vitæq; serenitatem ab auroræ ortu judicant,
 næ! multum falluntur. Annum & arborem non à vernali
 flore, sed autumnali fructu æstimamus. Fabula, nisi ultimò
 probè peractò Actu, ad *Plaudite* venerit, coronam non me-
 rebitur. ALBERTO Nos *Plaudite!* *Æternum Feliciter!*
 adclamamus. Facile hîc coniecimus, quid Augusto aliàs
 scriptori, JACOBO AUGUSTO THUANO, *Parlamenti*
Pariensis olim Præsidi, in mentem venerit, cum *Historiæ suæ*
librum XIX. hunc in modum orditur: ALBERTUM Ca-
 simiri Filium, publicum Patriæ terrorem, cum priùs Principum
 quorundam interventu ab Ordinibus impetravisset, ut ad cau-
 sam dicendam in Patriam venire posset, apud CAROLUM
 Marchionem Badensem ad finem suum in Hercyniæ portâ ex-
 tædio fortunarum suarum, & intemperanter actâ vitâ contra-
 cto morbo, VI. Idus Januarii decessisse. Egregio rerum huma-
 narum, inconstantiæ & ultionis divinæ exemplo: dum is, qui
 tot hominum millibus circumfusus, nominis sui formidine o-
 mnia olim compleverat, & Germaniam omnem ferè prædæ ex-
 posuerat, mox alternante vices fortunâ à cunctis desertus, in ex-
 tremâ miseriâ, hostibus ipsis despicabilis vitam finierit. Ostra-
 cismo, & exilii poenâ Viros tot gravissimos legimus multa-
 tos, ut ulla vix, ejuscemodi quæ careat exemplis, dari pos-
 sit historia. Ast sine omni mentis tristitiâ, & quod præcipuum,
 verâ fide defunctus, fortunæ vices animosus pertulit. A cunctis
 quæso, an desertus ille dici poterit, qui in ipsâ Germaniâ, inter
 dulcissimos agnatorum amplexus, suavissimas suorum vale-
 dictiones,

ditiones, & mœstissimas querelas obit? Quæ *extrema* illa *miseria*, cui nec corporis, nec animæ defuit medicina, & quicquid ab ægro unquam potuit exoptari? Nec opis profectò, neq; artis quicquam hîc desideratum, nihil inexpertum omisum, quod in pristinum restituere ALBERTUM valeret. Qualis *hostibus* fuerit, an *formidabilis*, an *despicabilis*, quid beatam, quæso, emigrationem potuit impedire? Ipse Princeps beatissimus dignas quoque tanto Principe habuit Exequias. Est equidem virtutum memoria omni exequiarum funebri pompâ fulgentior; interim honori tamen defuncti, & mœstitiæ animi danda quædam per publicos illos exequiales ductus. ALBERTUS à *Celsissimo Badensi Marchione* sæpiùs dicto, præsentibus variis variorum Principum legatis in Templo Parochiali *Pforzheimii* terræ demandatur, Ejusq; memoria hodiernum ibidem publico & egregio celebratur monumento, quod Nostræ huic Disertationi inferre non supervacaneum ducimus, translatum ex vernaculò in sermonem Latinum:

A SERVATORIS ET DOMINI NOSTRI
 JESU CHRISTI.
 NATIVITATE.
 ANNO MDLVII.
 VI. IDUS JANUARIII.
 SERENISSIMUS AC CELSISSIMUS PRINCEPS
 ATQUE DOMINUS,

F

DOMINUS

OS (O) SO

DOMINUS

ALBERTUS JUNIOR,
MARCHIO BRANDENBURGENSIS, PRUSSORUM,
STETINENSIVM, POMERANORVM, CASSUBIORVM
ET VANDALORVM, ITEM IN SILESIA OPPE-
LIENSIVM ET RATIBORNENSIVM,

DUX,

BURGGRAVIUS NORIBERGENSIS, ET PRIN-
CEPS RUGENSIS,

HEROS VERE GERMANUS,

GESTIS ET FAMA MAXIMUS,

QUI PRO GERMANICÆ NATIONIS LIBERTA-
TE ANIMOSE DECERTAVIT,

OMNIBUS, QUAS POSSEDIT,

REGIONVM, SUBDITORVM, QVIN ET

CORPORIS AC BONORVM

IMPENSIS FACULTATIBUS,

PFORZHEIMII,

APUD DN. CAROLVM, MARCHIONEM BA-
DENSEM ET HOCHBERGENSEM,

SERENITATIS SUÆ

ADFINEM,

ET

CUNIGUNDAM, MARCHIONISSAM EX

BRANDEBURGENSI

FAMILIA ORTAM,

SOROREM

OBDOR-

☉ (o) ☉

OB DORMI VIT,

BEATE, PIE;

PLACIDE,

HAC ÆDE EJUS MEMBRA QUIESCUNT.

CUI

CUM SINGULIS CHRISTIANIS

LOETISSIMAM LARGIRE RESURRECTIONEM!

O DEUS.

§. XXXIIX. Sic iustravimus Principem iuventute Optimum, vitæ cursu fortissimum, excessu beatissimum. Equidem, non semel humani quid passum eundem, & juvenili ex fervore eò sæpiùs abreptum, ut post actorum pœnitentiã duceretur summã, non negamus. Vid. *Camerar*; (a) neq; est, neq; erit, qui per omnes vitæ actus æquabilem omnium plausum auferat. Maximam tamen partem iis adscribimus, qui circa ipsum. Seductus enim sæpiùs à pravis & perversis ministris ac consiliariis, quorum turbulentis ingeniis tantas conjectus fuit in miserias, ut eluctari inde nullus potuerit. Testantur id expressa *Adversariorum* scripta, quæ si non omnem, præcipuam tamen actorum miserè culpam in ipsos Consiliarios & locum tenentes reiiciunt. *SIMON SCHARDIUS* (b) dilucidè satis adserit, *GUILELMUM GRUMBACHIUM ALBERTO* adolescenti incitato adversus patrum optimum, Principem *GEORGIUM* Marchionem, consiliorum minimè felicium ac salutarium Autorem, & ad pessima quæq; atq; ipsi tandem & familiae perniciofa, magistrum & incitatore

F 2

tatorem

(a) *Hor. subcis. Cent 1. 55.* (b) *Tomo IV. Rerum Germ.*

tatorem se præbuisse: eundem ad bellum vicinis Episcopis inferendum impulsisse, idq; jam motum, ut Architectum arcanorum consiliorum præcipuum magno studio & artibus ac technis mirabilibus instruxisse ac fovisse. Quanta in pervertendis nequitiam aliàs perversis Principum animis Consiliariorum vis sit, vel *Rehabeami* patescit exemplo. Et præcipuè, Principe sub juvene, qualis *Rehabeamus*, qualis ALBERTUS. Nec vanum illud *adversariorum* præfagium, tantorum malorum conciliatoribus tristissimum ominantium interitum, quem *Annus* dedit MDLXVII. Quem verò prava aulicorum consilia hostem ALBERTO concitaverint, vix Principatûs regimen adgresso, adferre hîc vetat prolixitas historiæ lectu dignissimæ, apud sæpiùs laudatum *Phil. Camerarium* coævum. (c) Melius ALBERTO profectò fuisset consultum, si pessimi illi Consilarii noxia sua consilia æterno obvelâssent silentio. Optimè certè *Atheniensium Præco* horrendis verbis dirum illi cum posteritate exitium solitus est precari, qui malum perfidumq; dedisset Principi aut Reipublicæ consilium.

§, XXXIX. Sed culpâ quoq; liberari vix poterunt *Confœderati*, qui ruptâ, quam semel dederant sanctissimè, fide tantorum malorum putabantur Autores. Utrum metu illa extorta pacta, & an propterea obligaverint, necne, nostrum hîc exponere non est. De *servandis etiam metu promissis* videat, qui velit, *CHRIST. FORSTNERUM* (d) prolixè disserentem. Sæpiùs quidem ALBERTUS *tyrannicâ* quâdam *barbarie* ab hostibus diffamatus. Sed non omnia *crudelitatis* in bello

(c) *Hor. subciv. cent. l. 92.* (d) *ad l. 11. A.*

bello exempla Principe statim fiunt mandante; & atrociter quædam gesta fama, ut omnia, in majus solet tollere. Neq; hostes ultionis semper modum servasse docent illorum temporum acta. Sævo qui milite ipsum simul Ducem accusare instituet sævitia, quàm multùm ille decipitur! Militaris sanè disciplinæ frena jam olim nimium laxata, etiam illò Reip. Romanæ statu, quò ad summum erat fastigium provectum imperium, omnes ferè loquuntur scriptores. Nostrorum hodiè num rident aut plorant licentiam, immoderatam eorum moderationem experti? Atq; à terrore movenda aliquando Principi autoritas, periti Medici more, noxia membrorum ressecantis, ne totum contagione tractum corpus de salute periclitaretur; aut asperi Patris ritu, severiùs liberos habentis, ut ad frugem redactis indulgere diutiùs possit.

§. XL. Absit a Nobis, ut *CAROLUM* *Cæsarem* suam cum reliquis Statibus non maturè satis interposuisse autoritatem adferamus, aut eundem *ALBERTO* in conatibus suis calcare addidisse & stimulum dicamus, quod illo tamen ævo communiter credi solebat. Nec tantum nobis sumimus, ut ingratitude *Eundem* postulemus, quasi ingentis, quò *ALBERTO* erat obligatus, debiti loco ultimam tandem persolvisset pro fideli adeò præstitâ operâ proscriptionem. Nos enim, quibus sanctitas Majestatis summarumq; potestatum semper fuit, semper erit venerabilis, malumus potissimam horum culpam in amicos Tanti Principis & ministros, quàm *Cæsarem* ipsum conferre, non uno hoc moniti exemplo.

§. XLI. *Camera Spirensis Adsesores* verò non semel variè

ALBERTUS accusat, præcipuè, quod inauditâ satis parte alterâ contra receptum aliàs ibi morem summâ celeritate perrexerint in *ALBERTO* condemnando. Quàm frequens illo *SECULO* *Cameralis* *Judicii* à *Statibus* protestantibus fuerit reculatio, quòd adfectibus contra *Evangelicos* nimium indulgere crederetur, exhibent *Hordlederus* de causis belli *Germ.* *Sleidanus* & alii. Sanè non pauci ex *Viris* doctis, ipsiusque Imperii *Statibus* *Camera* de causis *Principum* corpus, *famam* ac *Regalia* concernentibus cognitionem abjudicant. Rejeeta hæc magni adeò momenti res, in *Pace* *Osnabrugensi* *S. VIII.* ad proxima Imperii *Comitia*, varieq; deliberatum fuit, annon priorum temporum consuetudo maximè salutaris & necessaria sit in *Germaniam* reducenda, quâ cunctis Imperii *Statibus* sui ordinis aliquem proscribere semper competiit. Quin & *Protestantes* in *Monitis* *Particularibus* ad *Capitulationem* *FERDINANDI IV.* *Regis* *Romanorum* d. 8. *Aug.* A. 1658 ad *Art.* 28. monuerunt, ne deinceps *Elector*, *Princeps* sive quicumq; *status* Imperii absq; sufficiente causâ, & sine præscitu, consilio & nutu omnium *Statuum* proscribatur, vel proscriptione liberatus pronuncietur; sed quando quis Imperii *Status* tale quid commiserit, ut proscriptione dignus fuerit censendus, contra eum in *Universalibus* *Comitiis*, illo modo, quò proximis *Comitiis* res fuerit decisa, agatur, & auditâ ejus sufficiente excusatione tandem ex *Cæsaris* omniumq; *Statuum* unanimi consensu fiat iudicium. Hæc & plura videri possunt apud *Autorem* *Der Grundveste des Heil. Röm. Reichs.* (e) Sane *ALBERTI* causa

(e) *sect.* III. c. 3. p. 249. & c. 5. p. 272.

causa *A. MDLVII.* publico in Imperii conventu *Ratisbo-*
nensi readsumta, & *Recessui* modus insertus, quô tandem pa-
 cificè cruenta hæc controversia possit componi; quod & post
 Ejus obitum, redditis proximo *ALBERTI* agnato, *Serenis-*
simo GEORGIO FRIDERICO, *Marchioni Brandenburgensi* devastatis provinciis *A. MDLVIII. Mensis Octobris d.*
VI. divinâ Clementiâ consummatum, ubi pro tot malis illatis
Serenissimæ Brandenburgensi Familia à dictis sæpiùs Unitis
centena & septuaginta quinque aureorum millia fuere soluta, cum
 perpetuâ ultrò citròque datarum & acceptarum cladum a-
 mnestiâ.

§. XLII. Restat, ut paucissimis de *Marchionis* hujus co-
 gnomine, quô *ALBERTUS ALCIBIADES* communiter
 dici solet, quædam addamus. Quis & qualis *Atheniensis* ille
Alcibiades fuerit, *Plutarchus* & *Nepos* nescium edocebunt :
Ipsa quidem nihil excellentius vel in vitiis, vel in virtutibus fu-
isse dicit alter, (f) *ut omnes fuerint mirati, in uno homine tantâ*
inesse dissimilitudinem, tamque diversam naturam. Ast qui *Sere-*
nissimum ALBERTUM Alcibiadem dicere solent, adfectibus
 forsitan præter modum impediti, Græco huic in omnibus simi-
 lem faciunt, omnium nævorum ultrâ infirmitatem humanam
 exactores rigidissimi: Nobis tantum non adrogamus, sed me-
 liori jure *ALBERTUM Junioem, sive Bellatorem*, quàm *Al-*
cibiadem dici malumus: *ALBERTUM* enim Principem cla-
 rissimum, belloque fortissimum, hætenùs non semel depre-
 hendimus, omniumque expectatione meliorem futurum, nî o-
 ptimum

(f) *Corn. Nep. VII, i.*

Ve. 2857 (0) 50

ptimum animum perversissimi pervertissent. Claudimus hic,
& erroris benignam pollicemur nobis veniam. *Faxit DE-*
US, cujus in manibus Orbis Regna & Principatus, ne talia
unquam deinceps tristia experiri cogatur *Franconia!* Faxit,
ut *Potentissima & Serenissima Brandenburgensium Familia*
perpetuâ pace floreat! Faxit idem, ut *Serenissimum CHRI-*
STIANUM ERNESTUM immortalis nominis celebritas
continuatis fortunæ successibus ad astra vehere
pergat, coelumq; tandem Beatisimam ani-
mam, sed serò, recipiat!



nc
1017



nic,
DE-
alia
xit,
ilia
RI-
itas


ULB Halle
004 788 974

3





h. 25, 9. Q.R. 2



KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000
Kodak LICENSED PRODUCT
 Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

